



[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



AUXILIANTE SAPIENTISSIMO RECTÆ RA-
TIONIS DIRECTORE

ET

ANNUENTE AMPLISS. PHILOSOPHICA FACULTATE

Δενάδων

BIGAM

CONTROVERSIARUM

CIRCA

ΟΡΟΛΟΓΙΑΝ LOGICAM

Publico sistunt Examini

PRÆSES

M. HEINRICUS Baumann

Alumn. Electoral.

&

RESPONDENS

CHRISTIANUS Steurnagel

Torgenses.

Ad Diem 28. Februarii Anni MDCLVIII.

Horis Matutinis

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

H. Geyer Gantzlandt



VIRIS

Amplissimis, Excellentissimis, Consultissimis, Gravidissimæ

Dn. **GEORGIO Schmieden**

Jcto Celeberrimo, Reipub. Torgens.

Consuli.

Dn. **PAULO SCHRÖTERO**

Medicinæ Licent. Experientissimo, Reipub.

Ejusdem Judici.

Dn. **ANDREÆ GEY**

Jcto Famigeratissimo, & Reip. ibidem

Syndico.

Dn. **JOHANNI BULÆO**

Ampliss. Senatus Torgensis Actuarius

Dn. Patronis & Promotoribus

Suis Optimis, Maximis,

Colendissimis

*Has Primitias Academicas in
perpetua gratitudinis & debite
Observantia testimonium submitte*

Dat

Dicat

Dedicat

Christianus Steurnagel Torg.

I. N. J.
P R O O E M I U M.

Quâ & quantâ dignitate fulgeat Logica; quâ exuberet utilitate, & quanta sub necessitate sese commendet cuiusvis solidioris eruditionis Candidato, ipsa pleno ore loquitur, alienæ laudis minus indiga: Nam in eadem omnia ad dignissimum, utilissimum, & maxime necessarium collimant finem, rectificationem nempe, & expolitionem discursus mentis nostræ, sive directionem trium mentis nostræ operationum organicam. In hâc ipsâ omnem in sumit operam notionalis illa rectæ rationis directrix, & ut eò rectius eandem concinnet ac conformet, tres quasi notionum secundarum classes & gradus nobis sistit, qui è triplici illa mentis operatione oriuntur, & proportionem quadam illi respondent, uti *Crellius* loquitur *in Isag. p. 2.* & *cum eo Bartholinus in Enchir. p. 22.* quorum verba non parum illustrent ea, quæ *Heinricus Nicolai, Ruvium & Wegerum secutus, in Gymn. Log. diatr. 10. proœmio,* de notione simplici, complexa, & illativa, differit. Nobis ex prima illarum classe bigam decadum controversiarum potissimarum circa doctrinam de terminis simplicibus in præsentis publicæ placet exponere disquisitioni, & sic (ut *Heinr. Nicolai*, allusionem ad Romanorum Terminalia, circa finem Februarij celebrari solita, ex *diatr. 2. th. 1. G. L. meam* faciam) Academico more quædam quasi Terminalia celebrare, sub auspiciatissimo Divini Numinis, sapientissimi rectæ rationis Directoris, præsidio, quod ipsum proprium ac præsentissimum nobis esse sinat, jubeat!

CONTROV. I.

An doctrina de terminis simplicibus sit pars integralis Logica?

Doctrinam illam è foro Logico exterminant, quicumq; (ut nihil dicam de illis, qui de terminis absolutè consideratis, tanquam mero præliminari quodam, agunt) negant doctrinam de Antepredicam. Prædicabil. Prædicam. & postpredicam. spectare ad Logicam tanquam partem essentialem, quorum prolixum Catalogum exhibent *Masius p. 336. in categ. Arist. Heinr. Nicolai* (qui tamen ipse Antepredicamenta tantum melioris claritatis ergo

A 2

præ-

præmitti afferit in Diatrib. 4. th. 10.) in *G. Log. Diatr. 3. 4. 5. Scheibl. c. 1. introduct. p. m. 175. Regius p. 316. Disp. Log.* (quamvis hic alias quoq; cum illo de fine proprio totius hujus doctrinæ minus rectè per omnia sentiat) *Wegerus quest. 10. de Prædicab.* Nos quidem concedimus realium terminorum tractationem & Ramisticam eorundem cum notionalibus confusionem, quam *B. Jac. Mart. in discuss. Ramist. in prælect. Antikeck. in Centuriis quest.* passim taxat, in Logica minime tolerandam esse. 2. Antepred. prædic. & postpred. quatenus pro nudis habentur explicationibus terminorum in prædicamentis occurrentium, & prædicab. ex intentione porphyrij æstimata, ut & prædicamenta tantum materialiter considerata, non esse partes integrales Logicæ. 3. Primarium locum sibi vindicare terminos relativè consideratos, qui primam mentis operationem in munere suo respectivo sive apprehensione simplicium per ordinem ad compositionem & divisionem, & consequenter illationem, occupatam, dirigunt: secundarium verò terminos absolutè sumtos, qui dirigunt primam mentis operationem in munere suo absoluto, simplicia simpliciter & præcisè apprehendentem: sed logicam integram ac perfectam esse, sine doctrina terminorum, vel absolute vel respectively consideratorum, sub formali logico, negamus; quia ad integritatem ejusdem spectat, non tantum per convenientia & proportionata organa, quæ ipsa fabricare tenetur, dirigere primam mentis operationem in utroq; suo munere, ne vel in apprehensione rerum ac terminorum simplicium præcisâ, vel sub debita prædicabilitate, errorum quendam (cui, docente *Plur. Rever. Excell. Dn. D. Scharfio in notis MS. in Manuale, n. 4 proœm. ex Baranzani disp. 2. dub. 8. 9. summa Philos.* facile obnoxia fieri potest) committat; sed & explicare tam aptitudinem prædicandi in terminis consentaneis synonymicam & paronymicam, quàm habitudinem terminorum dissentaneorum ad Enunciat. negativas, quibus non satis perceptis, secunda mentis operatio in formatione prædicationum actualium, & tertia in structurâ syllogismorum, ab errore immunes esse nequeunt. Dato enim absurdo uno, sequuntur plura: & vitium concoctionis primæ difficulter
cor:

corrigitur in secunda & tertia. vid. B. Jac. Mari. Instit. & discuss.
Ramistica circa doctrinam eorum. Dn. D. Scharf. p. m. 81. 180. 217. 925.
983. 1007. Instit. & p. 21. sequ. lima Hamburg. Log. Gutkius p. 175. Synop.
Log. Wegerus, Nicolai l. d. & c.

II. Quomodo Terminus rectè definiatur?

Mendoza & Arriaga in summulis varias variorum allegant descri-
ptiones, easq; refutant solidè, quamvis Lalemandet in p. 1. appar.
Isagog p. 5. Mendozam in vanum laborare, & variarum termini
sumtionum ignorantia decipi, asserat; cujus tamen descriptio,
quod terminus sit pars propinqua constitutiva propositionis &
orationis, nec nobis arridet, quia neq; adæquata, neq; juxta alias
bonæ definitionis leges, quæ & in notionalium descriptionibus
non planè negligendæ sunt, ritè formata est. Nos præsuppo-
nentes 1. Terminum, seu definitum hoc proxime notionaliter,
remote realiter considerari, quia in descriptione notionis
secundæ necessario includitur ejus respectus ad primam, tan-
quam suum fundamentum. 2. Illum præscindere à positi actuali
& aptitudinali in enunciat, cum tam in hâc quam extra hanc
verus terminus sit (quicquid etiam contra disputet imprimis Phi-
lippus à sanct. Trinitat. p. 1. summa Phil. quaest. 14. art. 2. p. 231. consen-
tientes habens Complutenses l. 1. c. 2. p. 9. comm. Lalemandet l. d. p. 6.) ut
& à propositione simplici & composita, mentali, vocali & scri-
pta, quas confundunt Summulistæ, terminum respectivè confide-
ratum, cujus potior hîc habenda ratio, cum Aristot. ex lib. 1. c.
1. pr. Analyt. describimus, quod sit in quem resolvi potest propo-
siti. Quæ descriptio licet ad terminum (quod Lalemandet
& Nicolai hîc excipiunt) secundum esse actuale sumtum, tantum
restricta videatur; terminum tamen nondû actu in enunciat. po-
situm reverâ non excludit, cum actus non tollat potentiam.
Convenit ergo illa termini descriptio quoad verborum sensum
omni & soli termino respectivè sumto, si modo hoc notetur,
quod resolutio illa non qualiscunq;, sed Logica, qua propositio
resolvitur in extrema Logica, quibus copula annumerari nequit,
esse debeat, confer Conimbr. p. 253. l. c. Termini verò absolute sumti
descriptionem ex Eifleri fronti spicio Log. p. 39. mutuò sumimus

A 3

hanc:

hanc: Terminus est medium Logicum, quo simplicium apprehensio dirigitur ad veritatem repræsentationis, seu enuntiative incomplexam, quam descriptionem ille l. d. fusio explicat, ut non immeritò præferatur huic descriptioni Keckerm. l. i. Syst. Log. c. 1. Terminus est notio Logica sive instrumentum Logicum, quo unum quid & simplex menti repræsentatur, quia excludit terminum objective complexum & c. *Vid. Tataretus in summ. P. Hisp. tr. 4. fol. 25. Fonseca l. i. Inst. c. 8. Conimbric. l. 6. c. 9. Mendoza Disp. 1. summ. sect. 2. p. 11. Toletus l. i. Dial. c. 26. Franc. Bona Spei in prepar. Log. Disp. 1. Dub. 1. Scheibl. tract. de proposit. c. 1. n. 27.* qui descriptionem Aristotelicam retinent ac defendunt.

III. Quomodo Terminus commodissime dividatur?

In divisione termini non conveniunt Summulistæ, qui præter omnem necessitatem sæpe termin. divisiones multiplicant. *Eislerus* præ reliquis hic l. d. p. 46. non contemnendam sectatur *Angi-ßuar* ex Keckermanno, Fonseca, Toletto, Dominico Bannes optima seligens. Nos potiorum rationem habentes, missis variis inutilibus, & aliò pertinentibus distinctionibus, terminum, ratione modi significandi, & respectus ejusdem immediati ad rectificationem primæ mentis operationis, alium dicimus esse Categorematicum, alium Syncategorematicum, alium mixtum: alium abstractum, alium concretum: alium absolutum, alium conotativum: alium simplicem, aliū complexum, qui uterq; vel voce tantum, vel re tantum vel voce & re simul est. Ratione autē immediati respectu ad aptitudinem prædicandi terminum dividimus in aptum & ineptum ad prædicandum: (voce prædicationis late sumpta) aptum in Consentaneum & dissentaneum: Consentaneum in subiciblem tantum, & prædicabilem: subj. & prædic. in synonymicum (Univocum, vel Analogum) & Paronymicum, qui uterq; denuo est vel prædicamentalis vel Extraprædic. qui vel Excedens ob essentiæ vel universalitatem vel nobilitatem, vel Deficiens, qui ob essentiæ suæ exilitatem ad classem infra prædicamentalia pertinet. Dissentaneum vel Diversum, alium esse dicimus cum pugna, qui vel Relativus, vel Privativus, vel Contrarius, vel Contradictorius: alium sine pugna, qui ali-

às disparatus dicitur. Has divisiones dicimus esse adæquatas, immediatas (si Categor. & syncat. excipias) & rectè explicatas plerasq; generalissimas, in quavis materia, tam humana quam divina valentes, quod ex speciali eorum explicatione clarius patescet. *Vid. præter citat. Complutenses l. 1. c. 3 p. 10. 11. Dom. Ban. l. 1. Inst. p. 3. seq. Dn. D. Scharf. In. delineatione l. 1. Log. p. 929. inst. Nicol. in G. L. Diatr. 2. § seq. § in Log. Contr. à p. 9. usq; ad 35. Dutrieu in man. Log. p. 9. sequ. alii.*

IV. An inter terminum Categorematicum & syncat. datur medium, sive Terminus mixtus?

Medium hoc re pudiant communiter *Summulista, Bann. Mendoza*, quos sequitur *Lalemandet d. 1. appar. § sag. p. 2. Heindr. Nicolai d. 2. tb. 28. G. L.* concedit illud extra propositionem, neutiquam vero in propositione. Nos, præsupponentes terminum Categorematicum syncat. opponi non tanquam Substantivum Adjectivo, uti vult *Mendoza*, jure reprehensus propterea à *Lalemandet l. c.* Sed quod ille per se & de se significet aliquid perfectè, etsi non jungatur cum alio, possitq; per se & de se solo fieri extremum propositionis; non vero hic, terminum mixtum vocamus qui partim significat, partim consignificat, & cum alio certum extremum in propos. absolvit, atq; sic de utroq; illo aliquid participat, etiam in propositione ipsa, e. g. in hâc: *petrus est juvenis petulans*: ubi *petulans* terminus pure Categorematicus vel pure syncategor. dici nequit, cum per se & de se certam rem perfectè significet, & simul rei certæ determinationem designet, unde solitarie in istâ propositione non absolvit prædicatum primariû. Quæ verò voces sub termino mixto alias comprehendantur, exponit *Dn. D. Scharf p. 60. Inst. Confer. B. Spei d. 1. præp. Log. dub. 2. Tatar. tract. 7. fol. 55. l. d. Toletus l. 1. c. 12. log. p. 10. Eist. p. 67. Frontisp.*

V. Quomodo Terminus Abstractus à Concreto differat?

Mendoza d. 1. summul. f. 11. §. 52. putat solo interdum nomine terminum concretum differre ab abstracto, e. g. *Ens & Entitatem*. Nos quærentes de concreto Logico (in respectu ad prædicationem concretivam, & abstractivam eò rectius formandam, observata distinctione concreti ab abstracto) notante formam, quæ est
omne

omne id, quod alteri tribuit appellationem, cum subiecto appellationis conjunctam, quod Mendoza cum Grammatico male confundit, nudam inter illud & abstractum ullibi nominalem intercedere distinctionem, negamus (quia illorum unum semper aliquid includit, quod alteri de est) & semper vel re vel ratione tantum differre dicimus, pro ut nempe forma vel realiter vel tantum per operationem nostri intellectus à subiecto distincta, quod posterius obtinet in exemplo à Mendoza adducto. Ens enim & Entitas quo ad operationem nostri intellectus differunt tanquam forma & aliquid formam habens, quam differentiam explicandam relinquimus Metaphysico, qui distinctione inter Ens concretivè & Abstractivè sumtum, ut quod & ut quo, in hac controversia facile se expedire poterit. *Vid. B. Spei d. 1. dub. 4. l. d. p. 3. §. 29.* (cujus termini abstracti cum absoluto, concreti cum connotativo confusionem tamen in præcedentibus §. minime probamus, meliora edocti à *Fonseca p. 41 Dialect. Eiflero, Horneio, aliis.*) *D' Orbellis tract. 3. p. 17. de Antepred. B. Meisn. Phil. Sobria p. 1. f. 4. c. 5. p. m. 1081. Eustach. à S. Paulo p. 25 sum. Phil. Nicolai, Eiflerus l. d. Titelmanus l. 2. Dial. c. 6. p. 86.*

VI. Quodnam sit principale termini Connotativi significatum?
*Avicenna, referente Wegero qu. 6 in l. Categ. 1, quem Mendoza disp. 9. Met. th. 28. 30. Dutrieu in Man. Log. p. 17. demonstrante Animadversore in anim. 6. sequitur, existimavit connotativum principaliter dicere subiectum, minus principaliter formam. Lalemandet p. 1. partit. 4. appar. Isag. utrumq; æqualiter significari censet: alij aliter. Nos, præsupponentes terminum connotativum formam & subiectum non significare æque primo, asserimus, eundem principaliter significare formam, minus principaliter subiectum, 1 quia formam proxime & determinate: subiectum verò remote & indeterminate significat. 2. quia in reductione connotativi ad certum prædicam. potissima formæ habetur ratio, ad cujus classem refertur. *Vid. Tataretus tract. 7. fol. 54. Dn. D. Scharf p. 67. instit. Fonseca c. 24. Inst. Dial. p. 40. Titelmannus l. d. p. 87. Eifl. p. 78. l. d.**

VII. Quinam terminus ad obtinendum finem Logice ineptus dicendus sit?

Cbry

Chrysippus, referente *Gellio l. ii. c. 12. Noct. Attic.* omnia nomina æquivoca esse voluit, cuius sententiæ favet *Tataretus l. 1. Cate. dub.* & secundum effatum *Wegeri*, licet in *l. super P. Hisp. Summu-* las nullum huius consensus appareat vestigium. Illi e *Diametro*, teste eodem, contradixit *Diodorus Cronus*, nulla admittens æquivoca, *Ruvius intract. de Nom. Analogp. 148* Analoga quævis à prædicamentis non tantum; sed & à Syllogismis, & aliis argumentationibus excludit, & per consequ. terminis ineptis æquiparat. Nos medium tenentes & de ineptitudine ad discretionem veri à falso, omnemq; operationem Logicam directâ (quam ab indirecta accuratè distinguit *Eislerus in front. p. 89*) loquentes, ineptos dicimus terminos non tantum *Æquivoca* *Æquivocãtia*, tam casu quàm consilio talia, sive proportionis, cum significationis in proprietate plerumque conjunctæ (ne cum proportione quæ allicunque in univocis confundatur) Analoga sed & omnia alia vocabula obscura, perplexa, inusitata &c. quæ talia, quia hæc omnia ad felicioris finis Logici consecutionem nihil conferunt; sed eandem potius impediunt, & viam perveniendi ad veritatem obstruunt. Analoga verò attributionis, quæ suis inferioribus propriè communicantur, hic excipimus, & parili modo à syllogismis & a iis argumentationibus, quemadmodum à prædicamentis, excludenda esse negamus, quia veritatis à falsitate discernendæ instrumenta sunt, & in *Metaphysicis* disputationibus argumenta circa Analoga frequentissimè occurrunt, *Vid. Dn. D. Scharf p. 95. Inst. Wegerus quest. 1. l. Categor. Titelmannus p. 83. 84. l. d.*

VIII. *An terminus subijcibilis nunquam possit fieri prædicabilis?*
Mendoza, quem Arriaga disp. 7. Log. sect. 4. Subsect. 3. p. 95. sequitur, disp. 5. sect. 6. p. m. 314. Operosus est in demonstranda individui, termini nobis tantum subijcibilis, prædicabilitate, cui sententiæ ansam dedisse videtur prima *Porphyrij* descriptio Individui, quod nempe prædicetur de uno particulari. Nos quærentes de Individuo determinato non vago, circa quod plures se offerunt difficultates, concedimus, individuum prædicari in propositione negativa, & affirmativa nugatoria, inordinata, figurata, ut & tanquam notius de ignotiori &c. minime verò in prædicatione af-

B

firma-

firmativa propria, directa, naturali & ordinata, quia Individua non possunt Logicè dividi, & de pluribus ad modum totius ita divisim dici, ut in inferioribus multiplicentur. Neq; obstat huic nostræ divisioni, quod terminum subicibilem alium diximus synonymicū alium paronymicum: In hoc enim essentialiter cum termino prædicabili convenit, cum semper eadem subjecti habitudo sit ad prædicatum, quæ est huius ad illud, nempe vel essentialis vel extra essentialis. *Vid. B. Jac. Mart. cent. 1. d. 7. qu. 1. Dn. D. Scharf. p. 148. Inst. D' Abra. de Raonis p. 113. Log. Eist. p. 256. 273. l. d. Danb. p. 10. epit. Dial. & can. 11. Syllog. 1. Hippus qu. 16. Log. Horneusp. 61. Inst. Log.*

IX. *Quid sit Terminus prædicabilis vulgaris?*

Vulgò Terminus prædicabilis dicitur esse universalis in prædicando, qui potest prædicare de pluribus. quod & Jac. Fournenc. c. 16 p. 93. demonstrare conatur in *Syn. Phil. Claubergius in Log. sua veteri, & nova Aristot. Cartesianæ c. 7. Log. strictè sic dictæ p. 38.* prædicabilia seu universalia, prout tractantur in Logicis, nihil aliud esse dicit, quam diversos cogitandi modos, quibus res in se eadem aliter atq; aliter mente concipiatur & consideretur. Nos, præsupponentes quoad prius: universale in prædicando inferiora sua respicere essentialiter, iisq; semper latius esse: quoad posterius I. modum prædicandi sequi modum essendi. II. quæstionem esse de termino isto prædicabili in genere, non in specie, de proprio vel Accidente, quæ aliâ certa ratione genera & species esse possunt, asserimus, minus commode omnem terminum prædicabilem dici universalem in prædicando, quia (ut alia incommoda silentio transmittam) differentia Specifica quæ constituit tertium Prædicabile, & Proprium specificum, quod constituit quartum, de unâ saltem prædicari possunt specie, tanquam subicibili suo immediato, cum quo æquè late patent; & præterea proprium & accidens extra essentialem tantum respectum ad sua inferiora dicunt. Asserto vero Claubergij opponimus tum diversum modum prædicandi, tum mutæ istius permutationis, qua genus generalissimum fiat species vel differentia, vel species specialissima Genus &c. impossibilitatem. Terminus ergo prædicabilis vulgaris nobis est, qui in prædicatione Logica prædi-

prædicari potest de aliis, ut Genus & Species & plerumq; Acci-
dens, vel de alio, ut differentia & proprium, & quidem immedi-
atè, incomplexè vel in quid vel in quale, quæ descriptio à no-
tionibus illis prædicamentibus depurata etiam termino præ-
dicabili non vulgari applicari potest. *Vid. de priori Hornejus*
disp. 2. Log. de Prædicab. tb. 1. § 2. Gutkius in Synop. Log. p. 177. Wegerus
qu. 16. de Differ. de posteriori Vid. omnes illi, qui quinq; illa præ-
dicabilia, vulgo recepta distinctos & oppositos prædicandi mo-
dos, inre fundatos, includere, rectè defendunt.

X. An omnis Terminus prædicabilis sit prædicamentalis. vulgaris?
Affirmant hoc, quicumq; prædicabilem Terminum ex intentio-
ne Porphyrij & Aristotelis, qui procul dubio ad res mysticas,
quicquid sit de transcendentibus, non respexerunt, æstimant,
prædicamentalem necessariam prædicabilis conditionem
facientes, uti vel ex *Heinr. Nicol. disp. 3. tb. 21. 22. G. L. § in Log. Con-*
tracta l. 1 c. 2 p. 9. § Eissl. front. Log. p. 286. (quamvis hi alias syno-
nyma & paronyma extra prædicamentalia mordi citius defen-
dant) liquido constat. Nos, præsupponentes possibilitatem no-
tionem hanc (prædicabile) liberandi ab omni imperfectione,
terminum prædicabilem extra prædicamentalem defendimus,
quia non tantum res prædicamentales, sed & supra ac infra præ-
dicamenteles in enunciatione Logica, quæ prædicabilia præ-
supponit, de aliis vel de se invicem dici novimus. Quemadmo-
dum enim circa prædicationes & argumentat: in rebus mysti-
cis, transcendentibus, & deficientibus, non opus est plane no-
vis præceptis ac terminis, demonstrantibus hoc de illis *Dominico*
Bannes l. 5. Dial. c. 10 p. 610. de his & illis simul Eisslerop 26. front. Ita
nec circa ista, in aliquâ prædicatione ponibilia, vel synonyma vel
Paronyma mystica, transcendentia & deficientia, nisi quod Ana-
logia eminentiæ ubi vis maxime observanda sit, qua salvâ nullæ
notiones in formali suo imperfectionem quandam importan-
tes, rebus extra prædicamentibus, eminentibus vel ob essentiæ
singularitatem vel universalitatem, imponi possunt, sicuti salva
Terminorum proprietate deficientibus eadem nullatenus in-
dici debent. Interim concedimus hæc prædicabilia esse *deuterges,*
B 2 ille

illa verò, vulgaria, *περίως* talia, quemadmodū synonyma & paronyma eminentia Excell. Dn. D. Scharf. in Inst. & Comm. vocat *δευτέρας*, vulgaria verò *περίως* synonyma & paronyma, cūm communis illa de prædicabilibus doctrina è rebus prædicamentali-
bus de sumta, iisq; tanquam notionum illarum, formaliter etiam compositionem, vel similem imperfectionem includenti-
um, maximè capacibus, potissimū accommodata sit. Vid. Danh p. 11. epit. Gutk. p. 176. Synop. & imprimis Excell. Dn. Tenzelius SS. Th. Lic. & c. in Diss. de Prædicab. à quorū sententia recedere nequeunt, qui-
cunq; synonyma & paronyma extra prædicamentalia admittunt.

XI. Quotuplex sit Terminus prædicabilis?

Communitè quintuplex esse statuitur. *Johan. Major*, citanti-
bus *Conimbricensibus* quæst. 7. in præf. Porphyr. artic. 7. p. 163. pari fa-
cilitate plura pauciorave prædicabilia numerari posse putat, id
quod approbant multi alii numerum istum prædicabilium qui-
narium vel augentes cum *D. Abra de Raconis* p. m. 69 seq. vel minu-
entes cum *Lalemandetio* p. 144. 154. d. 4. & *Job. Caramuel à Lobkowiz*
in *Phil. Rat. & Real.* l. 7. Met. s. 3. d. 3. p. 247. Nos quidem cæteris pa-
ribus concedimus sufficientiam numeri Quinarij quoad res præ-
dicamentales & creatas, si prædicabilia analogica prædicamenta-
lia, e.g. quando quantitas prædicatur de continua & discreta, re-
ducantur ad illa priora tria synonymico-Univoca. Sed si atten-
damus prædicabilia extra prædicamentalia, sufficientia illa sibi
vix constare poterit, cum ista potius à terminis istis incompe-
tentibus, qui rebus ipsis repugnant, & imperfectionem aliquam
important (quales tamen prædicabilia ut sic & in communi spe-
ctata non sunt) abducenda, quam ad eosdem reducenda sint.
Interim ambabus largimur manibus, omne prædicabile in gene-
re prædicari vel in quid vel in quale, observatis observandis, ne
excludatur prædicabile analogicum. Vid. in præcedente thesi
citati. In probatione numeri quinarij de sudant alias *Ruvius* p. 49.
Masius p. 165. *Regius* p. 98. *Barthol. Janit.* p. 2. n. 49. & ex recentio-
ribus *Heerbord Claubergius* ac *Burgerstutius* in *Log. Arist.* autorita-
tem alibi non magni æstimantes, non planè frustraneo conatu.

XII. A



XII. An Divisio Termini in Synonymicum & Paronymicum legitima sit, omnemq; Termini prædicabilis exhauriat latitudinem?

Negant hoc quicunq; hic excipiunt vel Terminos causales cum *Beurhusio lib. 1. Log. p. 33.* Ramizante, vel infinitos cum aliis, vel mysticos cum illis, quibus à Porphyrio & Aristotele vel latum unguem discedere religio est, ut & qui vel terminos, prædicari in quid & in quale, confundunt, quale aliud essentialiter, aliud accidentale dicentes, vel qui prædicabile in Quis cum *Fonsæca* (licet hic sibi non satis videatur constare, cum in *Instit. Dial. lib. 2. l. 2.* & alibi agnoscat, omne prædicabile prædicari vel in quid vel in Quale) citante *B. Jac. Martini in pedia Log. lib. 1. c. 14. p. 135.* vel cum *Sthalio lib. 1. c. 1. Inst. p. 14* prædicabile accidentale, quod non prædicetur in Quale, assument. Nos præsupponentis quæri 1. de termino prædicabili, Synonymo & paronymo, in suo formali præciso, sive, ut *Gutk* loquitur, in Abstractione Entis, spectatis. 2. de prædicabili affirmativo, in complexo, directo. 3. Synonymicè in quid, essentialiter & Paronymicè, in Quale, extra essentialiter, prædicari, coincidere, quod ex sequentibus clarius constabit, bonitatem & ad æquationem illius divisionis probamus, quia nullus consentaneus incomplexus terminus datur qui conjunctus cum alio, eundem non respiciat vel essentialiter vel extra essentialiter, cum synonymum & Paronymum includant prædicata contradictoria, quæ nullum admittunt medium. Except. *Beurhusij* satis fecit *Heinr. Nicol. in Gym. Log. d. 2. th. 26.* Infinitos terminos, qui tantum aliquid determinatum remonent à subjecto, non verò ponunt, ad synonyma & paronyma commodè referri posse putamus, prout nempe terminus super quem fertur particula infinitans, alias vel Synonymicus vel paronymicus esse potest. De mysticis idem demonstrabimus infra. De multiplicatione prædicab. *Fonsæcæ* & *Sthalij*, quam *B. Jac. Martini* ineptam & ridiculam loc. cit. vocat, quid sentiendum sit, sequentes docebunt quæstiones. *Vid. Jac. Martini l. d. pedia. Scharf. th. 57. 67. de accur. Philos. gen. Gutk lib. 1. c. 1. Synop. & in habitu intellig. Spec. c. 7. princ. 3. 4. Nicolai l. d. Eiflerus p. 122. front. & in habitu intell. p. 143. 144 seq.*

XIII. *Quid sit Terminus Synonymicus?*

De Termino Synonymico minus rectè sentiunt, quicunq; rō prædicari in *Quid* vel ex solo modo quærendi & respondendi ad quæstionem *Quid est*, potissimum æstimant cum Interpret: Aristotelis: vel cum alijs Scholasticis, eorūq; sequacibus, per prædicari aut per modum per se stantis, i.e. vel per nomen substantivum juxta Arriagam p. 85. Disp. 7. vel per Concretum, cujus forma sit per se stans. & Substantialis juxta alios: aut per modum determinabilis essentialiter, juxta Poncium in disp. 4. de Genere, quem citat B. Spei p. 73. ubi sententias illas plerasq; refutat. Nos præsupponentes 1. Distinctionem synonymi ab univoco (cum quo à Scholasticis communitè confunditur) 2. quæri de synonymi descriptione accurata, & quætam Synonymis prædicamentalibus quam extrapædicamentalibus applicari possit: Non ad Puerorum captum tantum accommodata, & in adæquata (quam in adæquationis notam in currunt omnes descriptiones, explanationibus illis rō prædicari in *Quid* super structæ) Terminum Synonymicum dicimus qui omnibus Synonymatis (non secundum essentiam ultimam, sed conceptum communem, à quo vel æqualiter vel inæqualiter participant, spectatis) non tantum nomen; sed & definitionem (essentialem non quamcunq;) tribuit, h. e. qui quidditativum respectum ad illud, cum quo conjungitur, semper involvit. Sic attenditur legitima rō prædicari in *quid* explicatio (quam B. Jac. Mart. imprimis in *pædia*. p. 136. defendit.) quadrans ad quævis synonyma, si modo in deficientibus non negligatur vocabuli Quidditatis seu essentiae ampliatio. Vid. B. J. Mart. l. d. Dn. D. Scharf. in *doctrina de Synon.* passim in *Inst. Lima Hamburg.* p. 27. Scheckius in *l. 1. Topic. c. 4.* Eislerus, Gutkuis, Nicolai l. d.

XIV. *Quid sit Terminus Univocus?*

Univoci Termini quidditatem non exacte exprimunt, qui illum cum analogo & Paronymo confundunt quales sunt quicunq; vel participationis inferiorum æqualitatem à conceptu communi ejusdem descriptioni cum Scotistis quibusdam non inserunt; vel cum Scholasticis & in specie Conimbri censibus p. 302. 306. c. de *Æ-*
quid

quid. & Lorino p. 187. Commen. in Porphy. Analoga inæqualitatis, quæ vocant, quorum nomen & ratio est omnino eadem, inæqualiter tamen perfecta in inferioribus (ut nihil dicam de Analogis proportionis proprijs, quæ Lalemandet p. 209. disp. 6. Occamum contra Conimbric. defendens, cum Univocis coincidere demonstrat, cuius tamen explicationem exempli, quando pes prædicatur de infima parte hominis, montis, & scamni, non admittimus) Univocis contra distinguunt: vel Univoca accidentalialia cum Conimbricensibus l. c. p. 326. Masio p. 344. in Antecat. Arist. Spindlero in disp. de Antep. par. prio. art. 1. §. 22. alijsq; qui quamvis rationem essentialis sufficere statuunt ad Univocationem, in troducunt: Vel analogiam attributionis intrinsecæ Univocationem faciunt, ut Lalemandet p. 208. l. c. Nos, quærentes de Univoco, quod opponitur non tantum Equivoco & paronymo, sed & Analogo, Terminum Univocum vocamus, qui nomen & definitionem juxta illud nomen inferioribus essentialiter & æqualiter (sine priorit. & posterioritatis respectu, ita ut nullum participantium alteri essentialiam & nomen acceptum ferat) communicat. Sic enim completè & reciprocè Univoci natura exprimitur. Et hæc descriptio quadrat etiam ad Analoga inæqualitatis si modo prioritas & posterioritas dignitatis, (quæ cum Univocatione bene consistere potest) orta ex collatione differentiarum ultimatarum inferiorum, à prioritate & posterioritate naturæ rectè distinguatur. Univoca vero accidentalialia contradictionem & manifestam petitionem principij implicant, cum univoca semper ipsum rei essentialiam dicant & de suis inferioribus in Quid & definitivè prædicari debeant. Vid. D. Abra de Raonis tr. 2. de categ. p. m. 154. Javellus tr. 5 Log. c. 2. p. m. 179. Masius p. 168 in Antecat. Excell. Dn. D. Scharff. p. 39. lim. Hamb. Arnis. in notis ad Crell L. p. 53. 54. Siniglec. in Disp. 6. Log. q. 4. Horn. p. 58. Exerc. 2. §. 9. 5. Inst. Log. B. Höpfen p. 126. in Log. Comm.

XV. Quid sit Terminus Analogus?

Sententiarum (termini analogi genuinam formalitatem & legitimam divisionem evertentium) varietatem non capit hæc pagina. Aliud huic aliud illi ad palatum est. Confer. Conimbricensis

confes, Complut. Ruvius l supra cit. de Analogis. Arriaga. disp. 11. p. 106. B. Spei tr. 4. Log. disp. 1. Lalemandet disp. 6. part. 4. Wegerus qu 4. in categ. &c. Qui numeroſe conſenſum & diſſenſum autorum allegant. Noſtram ſententiam de controverſia hac difficillimã breviter exponamus, quæ in quantum conveniat & diſconveniat cum illorum placitis, ex collatione facile deprehendetur. Quærimus autem h. l. 1. non de Analogia rerum ipſarum reali; ſed de habitudine ſolum unius Termini ad alium Analogica, & aptitudine ſub inæqualitate prædicandi in iis de liteſcente. 2. non de Analogo præſcendente ab Analogis proportionis & attributionis cujuſcunq; cuius conceptus præciſus (æquivocus) omnibus communis, vix una definitione ſatis exprim; poteſt; ſed de Analogo attributionis, quod eſt ſynonymi quatuor ſpecies, & ab Analogo proportionis diſtinctiſſimum, dictum alias ab Ariſtotele commune ab uno ad unum, quod alii non ſine confuſione ad æquivocum referunt. His & ſimilibus præſuppoſitis 1. deſcribimus hunc analogicum Terminum, quod ſit qui nomen, & rem nomine ſignificatam verè pluribus communicat, ita tamen ut uni per ſe & πρώτως, cæteris non niſi in ordine ad illud & δευτερώς conveniat. Sic Terminus Analogus ab Æquivoco & Univoco ſufficienter diſcernitur & formalitas ejuſdem in prioritate & poſterioritate naturæ cum dependentia quadam (ſi Analoga unguſcularia attributionis, vel potius eminentiæ, de quibus Reverend Excellentiſſ. Dn D. Calov. in Gnoſtol p 27 conſulatur) proratione Analogatorũ variabili, conjuncta, unde illã alias deſcribunt quod ſit quando ſubſtantię ratio, nomine communi ſignificata, vere & propriè eſt in omnibus inferioribus, uni competens per prius naturæ, independenter, alteri per poſterius naturæ, ac dependenter ab alio. (2) Terminum Analogicum Analogia attributionis talem eſſe vel per Analogiam attributionis intrinſecæ vel extrinſecæ pronunciamus. Ille eſt, quando forma analogica convenit primo tantum Analogato intrinſecè, cæteris vero non niſi per extrinſecam denominationem, ut ſanum in reſpectu ad animal, medicamentum, cibum, pulſum &c. Hic autem, quando forma Analogica ab omnibus Analogatis intrinſecè participatur; ſed in æqua-

æqualiter secundum prius & posterius, ac cum aliqua dependen-
tiâ. Cætera difficultatis puncta tangere prohibet instituti no-
stri ratio. *Vid. Suarez disp. 28. Metaph. sect. 3. Fr. Eustachius*
à S. Paulo p. 21. summ. Phil. Masius, Höpffneus l. d. Danhauerus p. 22. e-
pit. Dial. Eisler p. 106. Front. Jacob. Fournenc c. 17. de Antepæd p.
96. 101. l. d. Quorum tamen effata singula à Fonseca, Toletò & Keckern
approbata, præsertim quo ad divisionem Analogorum, non probamus.

XVI. *Quid sit Terminus Paronymicus?*

Fallunt & falluntur circa descriptionem illius, quicumq; Phrasin
prædicari in Quale explicant vel ratione modi quærendi & re-
spondendi ad quæstionem Qualis sit res, quam explicationem
retinet *Stablius l. 1. Inst. p. 14.* Vel cum Scholasticis, per prædicari
per modum alteri ad jacentis, h. e. per prædicari per concretum,
cujus forma est ad jacens, seu accidentalis, juxta non nullos, sive
juxta *Arriagam p. 98. 85. l. d.* per adjectivum, vel juxta *Oviedum* per
modum partis formalis, quâ phrasin explicat *B. Spei p. 73 l. d.* senten-
tiâ suam peculiari resolutioni, quæ & suas patitur instantias, inclu-
dens. Nos, præsuppositis præsupponendis, quæ ex thesi huc tra-
henda sunt, & missis inadæquatis illis rē prædicari in quale explica-
tionibus, neglectisq; difficultatibus, quas *Arist.* descriptio gignit,
(unde *Mendoza d. 9. sect. 2.* illam se non percipere ingenuè fatetur)
Terminum paronymicum in genere describimus, qui illud, cum
quo conjungitur extra essentialiter respicit, & proinde non ipsam
quidditatem ejus cum quo unitur; sed illud, quod illius essentiæ
vel inest, vel adiacet, vel in hæret, vel quocunq; alio modo uni-
tum est, uti *B. Martini p. 136. Pæd. hoc* declarat, exprimit. Hæc e-
nim descriptio adæquata est, conveniens quibus vis paronymis
tam prædicamentibus quam extra prædicamentibus. Li-
cet enim respectus ille inter subjectum & prædicatum (e. g. inter
Deum, & ejus attributa non nulla) non semper extra essentialis
sit ex parte rei, tamen ad minimum ex parte conceptus nostri
non essentialis existit, dum nempe à nobis attributa quædam ex-
tra quidditativam Dei rationem posita concipiuntur, per ordi-
nem ad creaturas, ob infirmitatem intellectus nostri, qui non
potest unico conceptu totam Dei perfectionem apprehendere,

C

sed



sed ad eam apprehendendam multis conceptibus inadæquatis opus habet, ipsam per species rerum creatarum apprehendendo, quat. harum cognitione provehitur ad cognitionem Dei, ut Theologi & Philosophi hoc explicant. Ubi non incommode Paronyma alia esse dicit per Analogiam proportionis, ubi respectus tantum ratione conceptus nostri, alia per analogiam attributionis, ubi ille ratione ipsius rei obtinet. *Vid. B. Jacob. Martini in Inst. & pedia de Paronym. Dn. D. Scharf p. 132. 966. Inst. Nic. in Log. contracta p. 10. Gutkiius p. 75. & seq. Synop. & c. Confer. supra citatis*

XVII. An Termini in hac Propositione personali, Deus est

Homo, sint Paronymici?

Regius p. 292. 313. diss. Log. Horn. quest. 19. Instit. & exercit. 2. p. 50. Varias circa hanc controversiam dissentientium adducunt classes. Fonseca (cujus vestigiis insistit. Horneius) in Isagog. Phil. p. 616. c. 12. assumptiva quædam prædicabilia, ad explicandum istum modum prædicandi terminorum mysticorum in adducta propositione, præter necessitatem assumit & defendit. Pleriq; propositionem illam personalem ratione modi prædicandi formalis Logici, prorsus inusitatam esse volunt, paronymum ex conditionibus paronymi vulgaris Porphyriani unice dijudicantes. Nos, quærentes tantum de propositione illa, in qua concretum naturæ unius prædicatur de concreto naturæ alterius, præsuppositis iis, quæ hætenus dicta sunt, Terminos illos sese paronymice respicere asserimus, quia sunt revera termini simplices incomplexi respectum consentaneum (qui fundatur in unitate personæ tanquam ἐνομοιῶν quodam interveniente) involventes, eumq; non synonymicum, quod constat, sed Paronymicum seu extraessentialem, quia inter synonymum & Paronymum, quantum ad formales respectus eorum, quæ tanquam incomplexa consentiunt, nihil mediat. Interim concedimus facile 1. Judicium discretivum reale circa illos non competere Logico 2. Prædicationem illam ratione materialis extremorum ad se invicem habitudinis, ut & ratione modi prædicandi vulgaris inusitatam esse. 3. Disparatum ibi prædicari de disparato juxta intellectum naturalem, non vero juxta intellectum divinitus in-

forma



formatum, uti loquitur B. Jac. Martini th. 113. disp. 14. in partit. Th.
Quod si verò ibi observetur Analogia eminentiæ, & termini Pa-
ronymici ab imperfectione liberatio, nihil obstat, quominus illa
prædicatio dicatur usitata, quoad formalem extremorum con-
nexionem in vi eminenti, & Logici, mysterium unionis persona-
lis non ignorantis, iudicio organico, circa $\pi\alpha\nu\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\iota\kappa\acute{\iota}\nu$ occupa-
to, tuto committatur. Videantur B. Gerhardus p. m. 1290. 1310. Exeg.
Grauerus in absurdis Calvinist. c. 1. p. 66. seq. & p. 268. B. Jac. Martini in
Partit. Th. l. d. Dn. D. Scharff. Gutk. Eisl. l. c. & imprimis Nicol. Exer.
5. de modis prædic. p. 71 & exer. 9. p. 81 seq. & diatr. 2. th. 27. G. L. alij.

XVIII. Quenam sint vera & immediata prædicabilia
vulgarium subijcibilia?

Minus convenienter illa determinant, quicumq; differentiam &
propriū, quatenus distincta constituunt prædicabilia (quomodo
respectu immediatæ suæ prædicabilitatis consideranda veniunt)
de pluribus prædicari inde demonstrant, quod prædicentur de
pluribus individuis, id quod & Fournenc l. d. p. 93. nolens à com-
muni sententia recedere, præstat. Mendoza in disp. 4. L. sect. 5. §. 20.
cui suffragantur alij, manifestè impingit, dum genus de indivi-
duis quoq; immediate prædicari asserit. Nos, vera prædicabilia
subijcibilia illa vocantes, quorum respectu prædicabile consti-
tuitur in esse prædicabilis, ab aliis distincti, & præsupponentes
modum prædicandi sequi modum essendi, vera & immediata
subijcibilia Generis species, speciei individua, differentia & proprii
unicam tantum speciem, accidentis verò partim unam partim
plures species esse, asseveramus, quod ex legitimâ cuius libet præ-
dicabilis descriptione facillimo evincitur negotio. Mendozæ
vero assertio absurda videtur, quia absonum conceptum gene-
ricum abstrahere ab Individuis, non mediante specie, cum ge-
nus non nisi hæc intercedente individuis conveniat, etiam in-
complete cognitis, licet specifica illa ratio actu, quoad essenti-
am suam ultimam, non semper cognoscatur. Sufficit enim hæc
cognitio ejusdem confusa quoad existentiam, ut cognoscatur,
individua illa esse certarum specierum, quamvis non intelliga-
tur quæ præcisè illæ sint. Interim Genus, quæ Genus, verè & pro-

præ, quamvis non immediatè, de Individuis prædicari non ne-
gamus (quicquid etiam contra disputet *Lalemandet disp. 5. p. 70.*
adæquatum Generis, quâ Genus, correlativum faciens species)
ut proinde non opus sit peculiari quodam prædicabili innomi-
nato (quod Lovanienses defendere dicuntur) vel concomitante,
quod Fr. B. Spei tr. 2. Log. disp. 3. dub. 1. arridet. *Vid. B. J. Mart. C. 1. d.*
7. q. 2. Lalem. l. d. qui Lovanienses & Mendozam prolixè refutat. Ma-
sius in c. de Gen. sect. 2. q. 3. Coimbra. in c. de Spec. q. 2. art. 1. Lorinus in
c. de Gen. q. 1. Wegerus q. 16. in Porphr.

*XIX. An terminus aliquis extra prædicamentalis eminens
prædicamentalis fieri possit?*

Haud invite hoc concedent, quicumq; vel cum Mendoza *dis. 9.*
met. sect. 9. Th. II. 16. pro Deo (ut de Christo homine, aliisq; termi-
nis eminentibus nihil dicam) peculiare admittunt prædica-
mentum, vel Eundem cum eodem & Franc. B. Spei *Dis. 2. log. dub.*
3. in prædicamento Substantiæ directè, aut cum Thoma, Lori-
no part. 2. Qu. 2. in l. categ. & Scheiblero pag. m. 200. in trod. indi-
rectè, aut cum Keckermanno pag. m. 82. Syst. Log. Analogice, aut
eum Lalemande tio. p. 225. disp. 6. Objectivè ac doctrinaliter po-
nendum censent; vel cum hoc ipso ex mente Joh. de Bacchone
(cui Fonsæca lib. 5. met. c. 15. q. 9. sect. 7. ferè ad stipulatur) exercitij
gratia in prædicamentis, Quantitatis, Qualitatis, Relationis, A-
ctionis, Passionis, Illum poni, defendere non verentur. Nos
missis iis, de quibus forsan in conflictu, in Deum increatum &
in finitum, cujus in finitas nec in intellectu nostro instar finiti ob-
jici debet, injuriis opinionibus, & præsupponentes prædicamen-
ta formaliter absolvi dispositione illa notionum secundatum
prædicamentaliū, Generum & Specierum sub uno Genere Ge-
neralissimo, rebusq; creatis, tanquam præcipuo operationum
Logicarum subjecto, accommodata esse, Deum ullo modo in
ullo prædicamento poni posse simpliciter negamus, quia in Deo
non datur neq; fingi debet ulla potentia obedientialis recipien-
di notiones secundas prædicamentales, quæ à suis imperfecti-
onibus, quas involvunt, salvo suo formali, nullatenus purificari
possunt aut debent &c. interim peculiarem pro transcendentibus

&my

& mysticis, peculiarem pro deficientibus, præter classes rerum
creatarum, ordinem admittimus, omniaq; prædicata à rebus
creatis desumpta, Deoq; per viam eminentiæ assignata, eminen-
ter intelligenda esse dicimus. Vid præter citatos Autores, quo-
rum alter alterum refutat. *Ruvius in l. categ. c. 5. q. 2. Toletus.*
Conimbric. alij in l. categ. Suarez. Diss. 30. Met. sect. 4. Jac. Fournier
c. 23. de prædicam. p. 130. Danbæuerus Can. 3. Syllog. 2 Isenacorn p. 113.
Cursus Log.

XX. *An de Dissensu Terminorum Contradictorio in qualibet
materia Judicandum sit ex Logica?*

Negant hoc, quicumq; cum Fanaticis, aliisq; Sobrium etiam
rectæ rationis usum in Sacris prorsus improbantibus, iudicium
Contradictionis in materia divina rectæ rationi committendum
esse plane negant, quod ipsum alii circa Philosophicam quoque
materiam tenent ac tuentur. Nos, præsupponentes iudicium
rectæ rationis iudicio Dei non opponi; sed subordinari 2. qua-
stionem esse de iudicio non materiali & primo intentionaliter;
sed formali (quod à modo contradictionis, cuius leges præscri-
bit Logicus, desumitur) & secundo intentionaliter sumto, hoc
posterius in qualibet materia Logicæ concedimus 1. quia hæc so-
la ostendit contradictionis formam, h. e. quid ea sit, quotuplex,
quomodo verè formanda, quibus respectibus, rationibus &
modis absolvatur 2. quia veritas connexionum in Contradictio-
ne rationis, à Logica dirigendæ, beneficio eruenda ac diju-
dicanda est tam in mysticis, quam in Philosophicis. *Vid. Bannes*
l. cit. B. J. Mart. l. 2. Pæd. c. 4. p. 125 seq. Reverendiss. Dn. D.
Calovius p. 290. Method. Cornel. Mart. de anal. formæ c. 2. p. 21.
*Heinr. Nicol. tr. de contradict. Exer. 1. §. 6. seq. Cætera de ter-
mino dissentaneo (quem non nulli prædicabilem quoque esse
volunt) dubia reservamus discursui.*

SENARIUS COROLLARIORUM.

Quatuor regulæ, à Renato des - Cartes circa discretionem ve-
ri à falso in dissertat. de methodo p. m. 11. 12. commendatæ, &

hibitæ neque universales sunt, neq; præceptorum Logico-
rum multitudinem (pro qua, uti loquitur, illas sibi suffecturas
arbitratus est) minuunt. Vid. J.Revij Thekel. c.9. p.222.223.

II.

Objectum Logices Materiale proximum (4. primæ vocales
A E I O. quat. Significant quatruplicis generis propositiones)
à Lalem andet. disp. 3 Log. partit. 4. exercitii gratia assumtum,
puerile exercitium sapit.

III.

Entia linguæ, quæ Joh. Caramuel in Metalog. l. 2. princ.
9. f. 57. in locum Entium rationis substituit, & pro diver-
sitate trium mentis nostræ operationum in denominationem,
prædicationem, & Syllogismum distinguit, neq; spectant ad
materiam operationis Logicæ, neq; à se invicem distincta
sunt. Vid. disp. M Seldij, olim Fac. Phil. Adj. Anno 1644 habita,
de erroribus notabil. Caramuelis.

IV.

Syllogismus, finis Logicæ internus primarius, malè rejicitur à Fr.
Baconis, Barone. de Verulamio p. 4 novi organi scientiarum & p.
334. de augm. scient. novam inductionis formam, ab inductione
Aristotelicâ (quæ ipsi pueri lequid est) distinctam substituente à
quo parum deflectit Carthesius p. II. Meth. Vid. Thekel. Revij c.9.

V.

Divisio Logicæ Verulamij, in tract. de augm. scient. l. 5 c. 1 p. 319.
seq. quatuor artes Logicas, ex finibus suis (quæ sita invenire, de
inventis judicare, dijudicata retinere, retenta tradere) di-
stinctas, numerantis, æque vitiosa est, atq; aliorum recentio-
rum, Caramuelis, Claubergii, Burgersdicii & Heerebò ord.

VI.

Descriptio Generis (quod sit unum aptum prædicari de multis
ut pars materialis essentiæ Universalis) Fr. B. Spei tr. 2 Log.
Disp. 3. dub. 2. Vitiosa est, & nullatenus melior Porphyrianâ.

Non

Non fucis ludit verborum dadala Veri
Ars Logices, gaudet Simplicitate loqui.
Tu sequeris ductum divini dogmatis, & sic
Exequeris doctæ simplicitatis opus.

Johannes Meisnerus D.

*Ad Humanissimum Dn. Respond. Torgensem, Philosophiæ
Candidatum, Amicum meum.*

Præside BAUMANNO, Logicæ problemata ponis,
Quæ nunc sunt sociis discutienda tuis.
Non malè conveniunt, & in unâ sede morantur;
Quos idem genuit grex eademq; domus.
Ex animo ob civés clarissimâ Torga triumphet,
Qui patriæ tandem commoda mille ferent.

Michael VVendlerus.

D. P. P. & Decanus.

Ad Literatis Dn. Respondentem.

UT veri à falso fiat discretio dextra,
Ad verum ducens rite premenda via est.
Hanc teris, hanc dextro nisu decurras, amissim
Discursus, Logicam discere dum fatagis.
Pergito: sic veri dextre penetrabis abyssum
Hæc duce, sic nunquam præcipit abis opus.
Præmia digna manent scrutantem talia: dexter
Scrutator veri displicuisse nequit

PRÆSES

Quote, meorum prime sodalium,
Apollo ducit? quos agit ad libros?
Ostendat ut turbæ sororum
Divitiis Clariis beatum.

Do-

Doctrina sed jam promovet insitam
Rectiq; cultus pectora roborant
Depromis hinc quid sit noëma
E Logicis, quotuplex probasq;
Industria te Mercurialium
Quando Virorum volvere jugiter
Vidi antelucanâ libellos,
Hæc peperisse tibi, recordor,
Jam nunc sonoro carminis alite
Perstringit aures, quisquis amicior
Applaudit, ausus cum Sophorum
Amphitheatra tuos probarint,
Doctrina multo lata negotio,
Monstrabit & mox auguror, auguror!
Non usitatâ te coronâ
Pieria nitidum coronæ,
Tunc & vetabo carpere lividas
Obliviones, non ego temeis
Metris inornatum fileri
Torte tuas patiar lucernas.
Dite tuentur, DIS pietas tua
Et Musa cordi est; Fama velociter
Trans veçtet ala CANDIDATUM
Sideribus metuente solvi

Hoc Centone maxima parte Horatiano

Amico meo, Philosophia

Candidato, applaudere volui

Adam Sellius.

Philosoph,
Stud.


✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



41

NTISSIMO RECTÆ RA.
 DIRECTORE
 ET
 LOSOPHICA FACULTATE
 G A M
 ERSIARUM
 R C A
 N LOGICAM
 nt Examini
 ESES
 CUS Baumann
 Electoral.
 &
 NDENS
 US Steurnagel
 enses.
 Anni MDC LVIII.
 Matutinis
 io Minori.
 BERGÆ
 S BORCKARDI.

St Georgs Gauflands

